

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Pauli Apostoli Ad Hebraeos Argumentum Per Des. Erasmum  
Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

IN  
 E P I S T O L A M  
 PAULI APOSTOLI AD HEBRAEOS  
 ARGUMENTUM

PER

DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

**N**ULLA gens obstinatoribus animis repugnabat evangelio Christi, quam Judaeorum, qui Paulo etiam peculiariter erant infensi, quod se gentium apostolum profiteretur, quas Judaei ut profanas et impias abominabantur, quodque legem mosaicam, quam illi sacrosanctam habebant, et evangelii vice per univertum orbem spargi cupiebant, antiquare videretur, adeo ut essent inter hos quoque, qui Christi doctrinam receperant, qui putarent legis observationem cum evangelio miscendam. Hierosolymis igitur qui crediderant, variis calamitatibus afficiebantur ab iis, qui resistebant evangelio, nam penes hos erat publica auctoritas, coniciebantur in vincula, caedebantur, diripiebantur illorum bona. Hos itaque consolatur Paulus, partim exemplo veterum sanctorum, quorum plerique similibus, aut gravioribus calamitatibus exerciti sunt, quo virtus illorum esset exploratio spectatioque, ac prae-

Nnn 4

cipue exemplo Christi, partim spe praemii coelestis. Deinde declarat coruscante iam evangelio Christi, cessasse umbras legis mosaicae, multa repetens ex veteri testamento, et ad Christum accommodans. Docet, non ex observatione legis, ad tempus datae et imperfectae, sperandam esse salutem, sed ex fide, per quam veteres etiam illi probatae sanctimoniae viri, quorum memoria Judaeis erat sacrosancta, Deo potissimum placuissent. In fine tradit praecepta quaedam ad mores christianos facientia.

ARGUMENTI FINIS.

IN  
EPISTOLAM  
PAULI APOSTOLI AD HEBRAEOS  
PARAPHRASIS  
PER  
DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

**Q**Uum olim Deus humano generi, pro sua in nos pietate consulere studens, multifariam multisque modis saepe loquutus sit per suos prophetas, quibus nunc in nube, nunc in igni, nunc in aurae tenuis sibilo, nunc alia atque alia specie sese ostendit, nonnunquam per angelos, interdum arcano quodam mentis afflatu semet insinuans, tandem hisce temporibus extremis, quo certiore argumento declararet suam erga genus hominum caritatem, quoque plenior nobis fidem faceret, loqui dignatus est nobis, non per angelum, non per hominem prophetam, sed per unicum filium suum Iesum Christum, quem aeterno suo consilio instituit haeredem ac dominum, non tantum iudaicae gentis, sed orbis universi, utpote verum et unicum filium eius, cuius sunt omnia, quae condita sunt in coelo et in terra, quemadmodum et in psalmis ante promiserat. Nec mirum, si voluit filium habere secum commune dominium totius orbis, quum per illum condiderit orbem

Naa 5